



Inde-
ve-
tou
on
Hor-
ace


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE



DE
USU INFINITIVI HORATIANO
COMMENTATIO.

SCRIPSIT

ET

PERMISSU AMPL. ORD. PHILOS. UPSAL.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

IN PUBLICO DEFENDET

H. O. INDEBETOU
CAND. PHILOS. SUDERM.

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO INFERIORE A. D. XIV KAL. JUNIAS MDCCCLXXV
H. A. M. S.

UPSALIÆ
TYPIS DESCRIPSIT ED. BERLING
MDCCCLXXV.

Prooemium.

Horatius posteriore parte aureæ ætatis Latini sermonis vigebat. Cui seculo hoc nomen optimo jure impositum est; nam oratio et soluta et astricta ad absolutionem perfectionemque tum pervenerunt. Illa quidem oratio superiore parte hujus tempestatis maxime per Ciceronem exculta, perpolita certisque quibusdam legibus temperata erat; atque etiam alia genera præter rationem dicendi ab eximiis scriptoribus tractabantur. Ars autem poëtica parte posteriore demum, dico tempore Augusti, ad summum pervecta est [1]). Neque tamen poëtæ illius ita multo post Ciceronianam ætatem erant, ut, eos ad optimam prosam orationem se conformasse, non exspectandum esset. Sed res longe aliter se habet. Neque enim umquam inter solutam orationem et carmina tantum interfuit, quantum aurea illa ætate [2]). Quo melius hæc res intelligatur, primum consideremus naturas orationis solutæ et astrictæ inter se diversissimas. Scriptores enim, quum incorruptæ sermonis Latini integritati operam darent, se tamen ad vulgare genus dicendi atque ad consuetudinem communis sensus accommodare necesse erat; poëtæ autem non solum metri causa, sed præcipue studio omnia, quæ sentiebant, maxima cum vi, gravitate, elegantia, exquisitius proferendi rapti, multa sibi indulserunt. Quam ad rem efficiendam deinde etiam Græcus sermo vehementer pertinuit.

1) Bernhardy, Grundriss der Römischen Litteratur, Halle 1850, pag. 20: «Eine vollkommene Methode brachten in die Prosa Cicero, in die poetische Form zuerst die Dichter unter Augustus.»

2) Bernhardy pag. 28.

Qui jam tum, quum Romani Græcorum litteras perscrutari coeperunt, erat perfectus expletusque omnibus suis numeris et partibus, quo fieri non potuit, quin illi, summa admiratione capti, eas sibi ad imitandum proponerent. Ita Latini poëtæ facillime adducti sunt, ut ex Græcis ea sumerent, quæ ad rem idonea viderentur, ac sæpe verbum e verbo transtulerunt, quotidianum usum sermonis patrii negligentes. Quæ duæ res maxime in Horatium cadunt. Is enim non solum satiricus, sed etiam lyricus poëta erat et primus poëmata melica quodam artificio et via Latine composuit [1]), qua in re diu posterioribus poëtis exemplo fuit. Atque etiam ex comparatione magis in lyricis carminibus quam in Sermonibus ab oratione scriptorum abhorret. Sed in illo genere Græcos auctores, præcipue Alcæum, Sappho, Archilochum secutus est. Neque id mirum erat, quum Horatius in Græcia Magna natus esset atque haud ambigue Græcos vehementissime admiraretur, antiquiores autem poëtæ Latini forma magis rudi eum offenderent, id quod apertissime in epistola de arte poëtica scripta ostendit [2]).

Quibus causis impulsi sumus, ut in quærendo, quid apud Horatium, poëtam frequentissime lectum, a more consuetudineque loquendi optimorum scriptorum orationis solutæ differret, laborem consumeremus. Sed et infirmitas ingenii et angustiæ temporis impediverunt, ne in tota syntaxi Horatiana versaremur. Quare, quum ante paucos annos eximia disputatio de usu verbi finiti Horatiano edita sit, infinitivum ab eodem usurpatum plenius perscribere conari statuimus. Atque in ea re, quam nobis proposuimus, optimum visum est exempla collecta, ut apud probos auctores aliæ conformationes verborum infinitivo respondent, ita disponere. Editionem autem a C. W. Nauckio et a G. T. A. Kruegero annis MDCCCLXVIII et MDCCCLXIX paratam secuti sumus, cujus lectiones semper fere probavimus.

---

1) Bernhardy pag. 459.

2) Cfr Broman, Handbok i Romerska Litteraturens historia, Upsala 1855, pag. 38, 40.

I. De solo infinitivo, quum in prosa oratione vulgo aut nulla aut alia forma verbi subjungatur.

A. Apud Horatium, ut semper fere in oratione soluta, infinitivus grammatico subjecto, quod vocatur, carens ad notionem **verbi** accuratius determinandam confertur. Neque tamen solum ad plura et alia verba, sed etiam, ut aliæ sententiæ exprimantur, sæpe ille poëta præter consuetudinem scriptorum aureæ ætatis eum adjicit, id quod paulo post demonstrabitur.

1) Inter omnes constat, infinitivum etiam apud auctores solutæ orationis ad verba complenda adhiberi, quorum notiones sine eo inchoatæ et mancæ sunt (quæ vocantur *verba imperfecta).* Quæ res apud Horatium multo lâtius patet; nam ille, ut poëta vulgaria ac trita evitans, sæpe, quo gravior et elegantior oratio fiat, verba idem declarantia et fortiora, quæ ipsa in pedestri sermone plenas notiones contineant, ut imperfecta cum infinitivo componit. Quæ apud Horatium sic usurpata verba, ut eandem sententiam quam quotidiana significant, hoc modo distribuantur:

a) Potestatem faciendi ut *posse* indicant: **valere** (id quod apud optimos scriptores semper præpositionem *ad* cum accusativo gerundii regit) et **evalescere** ab hoc verbo ductum.

Od. 1: 34, 12 *valet* mutare. — 2: 5, 1 nondum ferre *valet,* æquare, tolerare. — 3: 25, 15 *valentium* vertere. — 4: 7, 27 nec *valet* abrumpere. — Epod. 5, 87 non *valent* convertere. — 16, 3 neque *valuerunt* perdere. — 17, 4 *valentium* devocare. — Sat. 1: 1, 14 delassare *valent.* — 9, 39 si *valeo* stare. — 2: 7, 87 *valeat* morari. — A. P. 305 acutum reddere *valet.* — 473 *valuit* si frangere. — Epist. 2: 1, 201 pervincere *evaluere.*

b) Vim ingenii ad aliquid agendum apti plura verba quam in oratione soluta continent, inter quæ verbo *sciendi* respondent: **callere, novisse** [1]; verbo *nesciendi* **ignorare** [2].

Od. 4: 9, 49 uti *callet*, pati. — Sat. 2: 3, 25 mercarier *noram*. — A. P. 87 descriptas servare vices operumque colores cur ego si nequeo *ignoro*que poëta salutor?

Annotatio. Uno loco Horatius verbum **habendi**, idem declarans quod scire, cum inf. sociat.

Epod. 16, 23 an melius quis *habet* suadere?

Illud verbum, i. q. posse vel scire significans, nonnullis locis a Cicerone cum inf., præcipue *dicere* (velut: Nat. D. 3: 39, 93. Pro Rosc. Am. 35, 100), etiam *scribere*, *polliceri*; sed sæpius pronomen relativum *qui* cum conjunctivo subjicitur [3], ut etiam Hor. Sat. 1: 9, 19.

c) Ut *velle* apud Horatium simul cum infinitivo versantur: **amare, dignari** (cfr. Græcorum *φιλεῖν* et *ἀξιοῦν*) [4]; deinde passivum **delectari** et verba **flagitandi** et **probandi**, quorum illud in prosa oratione probe et vetuste conjunctio *ut* cum conjunctivo sequitur [5].

Od. 1: 2, 50 *ames* dici pater atque princeps. — 2: 3, 10 pinus albaque populus consociare *amant*. — 3: 9, 24 tecum vivere *amem*. — 16, 9 aurum ire *amat* et perrumpere. — Epod. 8, 16 libelli jacere *amant*? — Sat. 1: 4, 87 e quibus unus *amet* aspergere. — 10, 60 *amet* scripsisse. — 2: 3, 20 quærere *amabam*. — 5, 96 *amat* laudari. — Epist. 1: 14, 9 *amat* rumpere. — A. P. 197 Ille (chorus) *amet* pacare tumentes.

---

1) Infinitivum his verbis non subjici nisi apud poëtas et auctores argenteæ ætatis, Moritz Seyffert ostendit in Palæstra Ciceroniana (Leipzig 1865, Fünfte Auflage), pag. 70.

2) Vide Wörterbuch zu den Gedichten des Q. Horatius Flaccus, bearbeitet von G. A. Koch, Hannover 1863, pag. 203.

3) Ferdinand Schultz, Lateinische Sprachlehre, Fünfte Ausgabe, Paderborn 1862 § 414 Anm. 2.

4) Gumælius (Passow), Grekiskt-Svenskt Lexicon, Örebro 1841. H. M. Melin, Grekiskt Handlexikon, Lund 1845.

5) Schultz pag. 516.

In nonnullis horum locorum vox amandi, ut apud Græcos *φιλεῖν*, similiter ac verbum *solendi*[1]) suethice verti potest; sed semper apud Horatium remanet propria vis, quæ est **velle**[2]). Quæ res maxime ex eo apparet, quod Od. 3: 9, 24 dictum: "vivere amem" respondet elocutioni: "obeam libens"; sed vox *libens* (vel *libenter*) etiam in or. sol. verbo *velle* commutari potest[3]). Quid? quod, ubi aurum, arbores similiaque aliquid facere amare dicuntur, ibi multo elegantius et poëta dignius videtur, si voluntas rebus attribui putatur[4]).

Od. 4: 3, 15 *dignatur* ponere. — Epist. 1: 19, 40 *dignor* ambire. — 2: 2, 36 connectere *digner*.

Epist. 1: 16, 32 vir bonus et prudens dici *delector* ego. — Sat. 2. 4, 61 *flagitat* refici. — C. S. 15 sive tu Lucina *probas* vocari (verbum *probandi* cum infinitivo reperitur etiam Cæs. B. C. 1: 29)[5]).

Annot. De voce *gaudendi*, quæ eandem sententiam habet, sed accusativum pronominis reflexivi loco subjecti positum desiderat, vide infra (III, B extr.).

d) Verba *cupiendi* et *conandi*. Horatius proprie cum infinitivo conjungit **certare**, **eniti**, **furere**, **laborare**, **optare**, **petere** cum composito **expetere**, **prægestire**, **quærere** (cfr.

---

1) Vide L. F. Kumlin. Kommentarier till Horatii oder III, (Sthm 1859) pag. 91, 92. Guill. Dillenburger, Horatii Opera Omnia, Editio tertia, Bonnæ MDCCCLIV, pag. 104. G. A. Koch. Etiam apud Sallustium (Östling pag. 21) amare vim solendi significat.

2) Et *amare* et verbum Græcum respondens vulgo redduntur: «gerna eller vanligen göra, pläga af böjelse.» Vide Melin, Gumælium; Linder & Wahlberg (Svenskt-Grekiskt Lexikon, pag. 337); lexica latina a George (Leipzig 1861), W. Freund (Leipzig 1844), Klotz (Braunschweig 1862) edita, qui vertit: «vorzugweise thun»; Nauck (Des Q. Horatius Flaccus Oden und Epoden, Sechste Auflage, Leipzig 1868) ad Od. 1: 2, 43. — 2: 3, 10. — Epod. 8, 16.

3) Säves Latinska Stilistik, Gefle 1865, Förra afdeln., pag. 28.

4) Cfr. Klotz & Fahlcrantz & Nauck ad Od. 3: 16, 10.

5) In Klotzii lexico hoc exemplum affertur.

ζητεῖν) [1]), **tendere, urgere,** quorum apud complura, desiderium vel studium continentia, a bonis scriptoribus particula *ut* cum conjunctivo ponitur.

Od. 1: 1, 8 *certat* tollere.

Klotzius in suo lexico dicit hoc verbum proprie significare: *"mit aller Macht u. Gewalt dahin streben, eine Entscheidung herbeizuführen."* Infinitivus autem etiam apud Tacitum [2]) aliosque auctores posteriores subjungitur.

Od. 3: 27, 47 lacerare et frangere *enitar.* A. P. 235 *enitar* differre.

Apud egregios scriptores verbis *nitendi* et *enitendi* conjunctio *ut* cum conjunctivo et interdum præpositio *ad* cum accusativo gerundii addi solent. Infinitivus autem versatur apud verbum *enitendi* Sall. B. Jugurth. 14; apud simplex *nitendi* Cæs. B. G. 5: 42, 3. — 6: 37, 10. — Nep. Pelop. 2, 1. — Sall. B. Jugurth. 27 & 37. Etiam sæpe Livius et Tacitus infinitivum adjiciunt [3]).

Od. 1: 15, 27 Ecce *furit* te reperire atrox Tydides.

Od. 2: 3, 11 *laborat* trepidare.—Sat. 1: 1, 112 superare *laboret.* — 2: 3, 269 *laboret* reddere. — 8, 19 nosse *laboro.* — Epist. 1: 3, 2 scire *laboro.* — 20, 16 quis invitum servare *laboret?* — 2: 2, 196 neque plura parare *labores.* — A. P. 25 brevis esse *laboro.* — 168 mutare *laboret.* — 193 nec loqui *laboret.* — 435 perspexisse *laborant.*

Huic verbo Cicero infinitivum numquam adjungit, nisi quum negatur (eodem modo Nep. Pelop. 3, 1), sed plerumque particulas *ut*, *ne* [4]); Horatius apud verbum laborandi has numquam habet nisi duobus locis (Sat. 1: 10, 73. — 2: 4, 49).

Epod. 17, 68 *optat* collocare Sisyphus. — Sat. 1: 1, 79 horum semper ego *optarim* pauperrimus esse bonorum. —

---

1) Vide Melin & Gumælium.

2) Dræger. Ueber Syntax und Stil des Tacitus.

3) Vide Häggström ad Cæs. BG. 5: 42, 3. Dræger. Kühnast, pag. 49.

4) Kumlin ad Od. 2: 3, 11.

Epist. 1: 14, 43 *optat* arare caballus. — 2: 1, 266 neque ficto in pejus vultu proponi cereus nec prave factis decorari versibus *opto*.

Optare cum inf. dicitur. Liv. 9: 14 extr. Cicero semper fere particulam *ut* cum conjunctivo (raro accusativum cum inf.) huic verbo attribuit; sæpius composito verbo *exoptandi* infinitivum adjicit [1]). De infinitivo ad verbum *praeoptandi* apposito subsequentem partem (e) vide.

Epist. 1: 11, 29 *petimus* bene vivere. — Epod. 11, 3 *expetit* urere.

Quum *petere* et *expetere* idem quod **studere** valent, ad illud nulla forma verbi, ad hoc particula *ut* (*ne*) cum conjunctivo vulgo apud eximios scriptores, sed a Livio infinitivus additur [2]).

Od. 2: 5, 9 ludere *prægestientis*.

Præterea apud Ciceronem Cæl. 28, 67. — ad Fam. 6: 20 verbum *prægestiendi* cum infinitivo usurpatum affertur, sed rarissimum videtur [3]). Cavallin [4]) hanc vocem apud Ciceronem aliter atque apud Horatium vertit (illic: på förhand (i förkänslan) längta; hic: mera ha lust till). Simplex autem verbum *gestiendi*, quod Horatius cum inf. septies habet (Od. 3: 3, 54. — 16, 24. — 4: 12, 15. — Epist. 1: 17, 7. — 20, 5. — 2: 1, 175. — A. P. 161), sæpe etiam apud Ciceronem sic reperitur.

Od. 1: 16, 26 *quæro* mutare. — 37, 22 perire *quærens*. — 3: 4, 39 finire *quærentem*. — 24, 27 *quæret* PATER URBIUM subscribi. — 27, 55 *quæro* pascere. — 4: 1, 12 torrere *quæris*. — Epod. 2, 70 *quærit* ponere. — Sat. 1: 9, 8 discedere *quærens*. — 2: 1, 77 illidere *quærens*. — 7, 114 *quærens* fallere. — Epist. 1: 1, 2 *quæris* includere.

---

1) Klotz., Schultz, pag. 503. Kuehneri grammatica § 127: 2. Ann. 2. (Fünfte Auflage, Hannover 1861).

2) Klotz & Kühnast, pag. 252.

3) Klotz. Sjöblom, De usu infinitivi apud latinos poëtas augustanæ ætatis, pag. 4.

4) Latinskt lexikon. Sthm 1871. Förre delen, pag. 689.

In prosa oratione per auream ætatem huic verbo infinitivus numquam adjungitur. Lectio enim Cic. De Fin. 3: 3, 11 "quæris scire", quam Kochius in suo lexico Horatiano affert, falsa est [1]).

Od. 1: 29, 16 mutare *tendis*. — 3: 4, 51 *tendentes* imposuisse. — Epist. 1: 7, 31 ire *tendebat*. — 10, 20 *tendit* rumpere. — 19, 16 *tendit* disertus haberi. — 2: 2, 57 *tendunt* extorquere.

Simplex verbum *tendendi* apud Livium et infinitivum (velut 6: 38.—10: 1) et *ut* (*ne*) cum conjunctivo regit. Compositum autem *contendere* sæpe apud Cæsarem cum infinitivo versatur, uno loco apud Cic., nonnullis apud Sallustium [2]).

Od. 2: 18, 20 *urges* summovere.

e) Apud Horatium **præferre** idem significat quod *malle*.

Epist. 2: 2, 126 *prætulerim* delirus videri quam sapere et ringi. — 183 cessare et ludere et ungui *præferat*.

Cæsar B. G. 1: 25, 3 ad verbum *præoptandi* idem declarans infinitivum adjicit.

f) Pro *nolle* Horatius utitur: **contemnere** (cfr. *ἀτιμάζειν*) [3]), **denegare, differre, fugere** (cfr. *φεύγειν*) [3]) cum composito **refugere, odisse, parcere** (cfr. *φείδεσθαι*) [3]), **recusare, spernere, vitare.**

Epist. 1: 1, 29 non *contemnas* inungi. — 50 coronari *contemnat*.

Od. 3: 16, 38 nec tu dare *deneges*.

Cicero verbum *denegandi* uno loco, ubi negatur, cum conjunctione *quominus* et conjunctivo sociat [4]).

Od. 4: 4, 21 quærere *distuli*.

Verbo *differendi*, quum negatur, apud Livium et conjunctio *quin* cum conjunctivo (6: 22 extr.) et infinitivus subjicitur [4]).

---

1) Madvigius hoc demonstrat in sua editione hujus operis Ciceroniani (Hauniæ MDCCCXXXIX).

2) Klotz & Kühnast pag. 249, 254.

3) Vide Melin & Gumælium.

4) Vide J. F. Johansson («om bruket af partiklarne quominus och quin»).

Epist. 2: 2, 150 *fugeres* curarier, (Cic. rarius, ut Piderit ad De Or. 3: 38, 153 annotat). — Od. 1: 1, 34 *refugit* tendere.

Od. 2: 16, 26 *oderit* curare (Cic. rarius). — Epist. 1: 16, 52 *oderunt* peccare.

Od. 3: 28, 7 *parcis* deripere. — Sat. 2: 2, 58 *parcit* defundere.

Sat. 2: 5, 17 ne ire *recuses*. – 7, 108 pedes ferre *recusant* corpus. — Epist. 2: 1, 208 quæ facere ipse *recusem*. — 259 vires ferre *recusent*. — A. P. 39 versate, quid ferre *recusent* humeri.

Præterea apud Horatium nullo luco *recusare* cum alio verbo componitur. Optimi quidem auctores ad illud enuntiationem a particulis *ne*, *quin*, *quominus* incipientem semper fere adjiciunt; nonnumquam tamen infinitivum habent velut Cicero quattuor locis; Cæsar uno loco (B. G. 3: 22, 8); sed Livius sæpe (5: 11, 11. — 53, 9 atque etiam septem locis)[1].

Od. 1: 1, 21 nec demere *spernit*.

Epist. 1: 3, 16 tangere *vitet* (Cic. *ne* c. conj. velut De Or. 1: 48, 207).

In verbis fugiendi etiam *dolere*, *gemere*, *indignari*, *plorare* numerari possunt, sed apud hæc accusativus pronominis reflexivi, loco subjecti positus, supplendus esse nobis videtur (cfr. infra III, B extr.).

Imperativo *noli* apud Horatium respondent: **aufer, fuge, mitte, omitte, parce, remittas.**

Sat. 2: 7, 43 *aufer* terrere.— Od. 1: 9, 13 *fuge* quærere. — 2: 4, 22 *fuge* suspicari. — 1: 38, 3 *mitte* sectari. — Epod. 13, 7 *mitte* loqui. — Od. 3: 29, 11 *omitte* minari. — Epist. 1: 18, 79 *omitte* tueri (verba mittendi et omittendi in aliis formis etiam apud Cic. cum infinitivo)[2]. — Od. 1: 28, 29 ne

---

1) In hac re maxime conclusi ex libello ab Johansson scripto, qui pag. 11 & 12 præcipue apud Ciceronem multo plura exempla usus particularum *quominus*, *quin* quam infinitivi affert. Etiam apud Freund est de verbo *recusandi* cum infinitivo usurpato: «am häufigsten bei Dichtern»; et Kühnast dicit, eum usum in or. sol. esse rarum.

2) Cavallin. Kühnast, pag. 253. Klotz.

parce dare (in prosa oratione: ne nolueris). — 3: 8, 26 *parce* cavere (etiam Liv. 34: 32, ut Freund in suo lexico affert). — 2: 11, 13 *remittas* quærere (verbum *remittendi* cum inf. sociatur Sall. B. Jug. 52).

g) Quandam cum verbis fastidii cognationem verba *timendi* habent, quorum apud præstantissimos auctores plerumque solum *vereri*, quum idem valet quod non audere; raro hoc modo *cavere* et *timere* simul cum infinitivo ponuntur. Sed Horatius non solum hæc verba sic usurpat, sed etiam alia propinqua: *formidare*, *metuere*, *perhorrescere*. Uno loco infinitivus pro particula *ne* cum conjunctivo copulata apud verbum metuendi invenitur.

A. P. 168 *cavet* commisisse.

Apud Horatium nusquam nisi hic, apud Ciceronem (ad Att. 3: 17, 3, ut Klotzius dicit) et Sallustium (Jug. 64) infinitivus adjungitur, sed sæpissime juste *ne* cum conjunctivo, quum verbum cavendi metum denotat.

Od. 1: 8, 8 cur *timet* tangere? — 3: 24, 56 venari *timet*. — Sat. 1: 4, 23 *timentis* recitare. — Epist. 1: 5, 2 nec cenare *times*. — 7, 4 ægrotare *timenti* [1]). — 19, 27 *timui* mutare. — 2: 1, 114 navim agere *timet*. — A. P. 170 *timet* uti. — 455 *timent* tetigisse [2]).

Epist. 1: 19, 46 naribus uti *formido*. (Etiam uno loco apud Ciceronem et Liv. 9: 34 verbo *reformidandi* infinitivum subjici, Klotzius auctor est).

Od. 2: 2, 7 *metuente* solvi. — 3: 9, 11 pro qua non *metuam* mori. — 11, 10 *metuit* tangi. — 14, 15 nec mori (pro: ne moriar) [3]) *metuam*. — 4: 5, 20 culpari *metuit* fides. — Sat. 2: 3, 110 *metuens* contingere. — 5, 65 *metuentis* reddere soldum. — Epist. 1: 16, 60 *metuens* audiri. — 18, 1 *metues* scurrantis speciem præbere.

---

1) Non intelligo, cur Sjöblom (pag. 6) putet ægrotare idem valere quod: *ne ægrotus fiam*. Neque enim Horatius, quo vereatur, ne ipse in morbum incidat, petit, ut ruri manere sibi liceat, sed quia id prohibere conatur.

2) De verbo timendi in or. sol. vide Kuehnerum § 127: 2. Schultz, § 349 Ann. 3.

3) Vide Fahlcrantz, pag. 49.

Od. 1: 16, 18 *perhorrui* tollere.

Cfr. Odyss. 2: 52 ἀπεῤῥίγασι νέεσθαι. Simplex verbum *horrendi* etiam Cicero cum infinitivo ponit [1]).

Annot. De verbo *negligendi*, quod valet *non vereri*, sed accusativum pronominis reflexivi pro subjecto positum desiderat, vide infra (III, B extr.).

h) Proprie Horatius verbum *docendi* etiam in temporibus passivi cum participio præteriti compositis et in gerundivo verbo *esse* carente cum infinitivo conjungit, Atque adeo sic usurpantur compositæ voces **dedocendi** et **condiscendi,** quarum una in or. sol. numquam, altera raro cum infinitivo versatur; deinde propter similitudinem sententiæ verba **aptandi, fingendi, monstrandi,** quorum duo superiora in prosa oratione præpositio *ad* cum accusativo gerundii sequitur.

Sat. 2: 4, 19 *doctus eris* mersare [2]). — Epist. 1: 14, 30 rivus multa mole *docendus* [3]) parcere prato. — Od. 2: 2, 20 populum *dedocet* uti. — 3: 2, 3 pati *condiscat.* — Epist. 1: 1, 69 Fortunæ te responsare hortatur et *aptat* [4]). — 2, 65 fingit equum ire viam [5]). — Sat. 2: 8, 52 *monstravi* incoquere.

i) Horatius infinitivum conjungit verbis *cogitandi* et *festinandi*: **curare, meditari, meminisse** (præcipue imperativo: memento; Græcos imitatur), **occupare** (ut sæpe apud Livium), **trepidare.** Pro *non curas* uno loco est: "**non magni pendis**" simul cum infinitivo.

Od. 2: 7, 25 quis deproperare *curat?* — Epist. 1: 16, 17 si *curas* esse quod audis. — 17, 5 *cures* fecisse. — A. P. 35 si quid componere *curem.* — 98 si *curat* tetigisse. — 461 si *curet* quis opem ferre et demittere funem. — (Quum verbum *curandi* negatur) Od. 2: 13, 39 nec *curat* agitare. —

---

1) Kühnast, Freund, Klotz.

2) Cfr. Nep. Ep. 2, 1.

3) Vide Franciscum Ritter (Horatii Opera Lipsiæ MDCCCLVI), ad Od. 1: 1, 18. Cfr. Cic. de Fin. 2: 5, 15 «Num sum etiam nunc vel Græce loqui vel Latine docendus?»

4) Vide G. T. A. Kruegerum ad hunc locum (des Horatius Flaccus Satiren und Episteln. Leipzig 1869).

5) Madvigii Grammatica Latina, Braunschweig 1857, § 419. Cfr. Kruegerum ad Horatium.

Od. 3: 5, 30 nec *curat* reponi. — Epist. 1: 17, 58 nec *curat* attollere. — 2: 2, 182 est qui non *curat* habere. — A. P. 133 nec *curabis* reddere. — 297 non ungues ponere *curat*, non barbam. — 460 non sit qui tollere *curet*.

Huic verbo curandi idem declaranti quod cogitare, quum affirmatur, tum Cicero ceterique boni auctores, ut quod studium designet, plerumque particulas *ut*, *ne* cum conjunctivo addunt. Sin autem enuntiatio negatur, verbum curandi etiam in or. sol. vulgo infinitivum habet [1]). Quem Horatius quidem ubique huic verbo attribuit, uno loco excepto (Od. 1: 38, 6), ubi, etsi vox curandi negatur, solus conjunctivus invenitur [2]).

Od. 3: 8, 24 *meditantur* cedere. — 25, 6 *meditans* stellis inserere, — 4: 12, 23 non te immunem *meditor* tingere. — Sat. 2: 3, 263 an *mediter* finire?

Infinitivus etiam apud Ciceronem duobus locis et Nep. Ages. 4, 1 versatur [3]).

Od. 1: 7, 17 *memento* finire. — 2: 3, 1 *memento* servare. — 17, 31 reddere victimas *memento*. — 3: 29, 32 *memento* componere. — Sat. 2: 4, 12 *memento* ponere. — 89 ducere *memento*. — 5, 52 abnuere et removere *memento*. — 6, 37 orabant, *meminisses* reverti. — Epist. 1: 8, 16 præceptum hoc instillare *memento*.

Od. 2: 12, 28 rapere *occupat*. — 4: 23 *trepidavit* claudere.

Sat. 2: 4, 92 quem vidisse tu *non magni pendis* [4]).

j) Verba *cessandi* et *morandi*, quum negantur, Horatius interdum cum infinitivo connectit, qui in or. sol. numquam fere apud ea versatur.

Od. 3: 27, 58 quid mori *cessas*? — Epist. 1: 7, 78 non *cessat* laudare (Sic etiam Cic. Attic. 11, 11). — 19, 10 non *cessavere* poëtæ nocturno certare mero, putere diurno. — Epod. 16, 24 ratem occupare quid *moramur*? [5]).

---

1) Madvig § 389. G. T. A. Krüger Grammatik der lateinische Sprache. Hannover 1842. II § 560 a. Klotz, Cavallin.

2) Vide Fahlcrantz ad hunc locum.

3) Vide Klotzium.

4) Cfr. Sall. Cat. 17 prorsus neque dicere neque facere quidquam pensi habebat.

5) Morari alicui bellum inferre Cic. (Cavallin & George).

k) Præterea commemorandum esse videtur, verbum *coepisse* interdum apud Horatium ut alios poëtas in activa forma cum passivo infinitivo conjungi. Illud autem verbum numquam apud Cic. et Cæs., raro apud Livium, nisi sæpius simul cum infinitivo *fieri*, quod verbum proprie non est passivum [1]), aut si infinitivus passivi vim reflexivam habet. Ne tum quidem id apud præstantiores auctores sæpe versatur [2]).

Epist. 1: 15, 27 *coepit* haberi [3]) urbanus. — 2: 1, 149 jocus *coepit* verti (pro: se vertere) [4]). — A. P. 22 amphora *coepit* institui. — 210 *coepit* placari Genius.

l) Verbo *pergendi* Horatius duobus locis infinitivum subjicit, id quod Cicero rarius, Livius sæpius facit [5]).

Od. 2: 18, 16 novæ *pergunt* interire lunæ. — Sat. 1: 1, 102 *pergis* componere.

2) Infinitivus raro apud præcipuos auctores solutæ orationis locum **subjecti** obtinet, nisi ad *esse* cum nominativo prædicati positum et verba proprie impersonalia. Sed apud Horatium infinitivus etiam ad nonnulla verba ut impersonalia eo modo apponitur, quæ in prosa oratione vulgo personaliter dicuntur aut alias conformationes verborum postulant. Qui eodem modo insolentius ad dictum: *inimicum est alicui* atque ad solum verbum *esse* impersonale additur.

a) Infinitivus subjectum verborum in or. sol. personalium.

Sat. 2: 5, 73 *vincit* (pro: præstat; cfr. *κρατεῖ*) [6]) longe prius ipsum expugnare caput. — Epist. 1: 17, 33. 34 res

---

1) Kuehnerus ad Cic. Tusc. 1: 13, 30.

2) Dræger, Historische Syntax pag. 137—140. Apud Ciceronem quidem pro infinitivo passivi, vi reflexiva prædito, «*afflictari*» (Tusc. 3: 27, 66) profertur; apud Sallustium «*augeri*» et «*moveri.*»

3) Eodem modo apud Sallustium infinitivi: «*haberi*, *duci*» cum activa forma «*coepi*» sociantur, sed apud Ciceronem cum passiva «*coeptus sum*» (Dræger), quam ille nisi uno loco (Jug. 27) non usurpat (Östling, pag. 24).

4) Numquam nisi post Horatianam ætatem magis usitatum (Klotz).

5) Vide Klotzium.

6) Kochii Lexicon Horatianum. Melin & Gumælius.

gerere et captos ostendere civibus hostes *attingit* solium Jovis et coelestia *temptat*. — Sal. 2: 2, 36 quo *pertinet* (Cicero sic utitur: *attinet*)[1]) odisse? — 3, 11 quorsum *pertinuit* stipare? — Od. 1: 28, 4 nec tibi *prodest* tentasse animoque percurisse. — Epod. 17, 60 quid *proderat* ditasse? — Sat. 1: 2, 113 nonne quærere plus *prodest* et inane abscindere soldo? (Quid prodest mentiri? Cic. (Cavall. lex.); (cfr. etiam Cic. Tusc. 4: 30, 64).

b) Ad voces impersonales *contingit* et *restat* apud Horatium infinitivus, sed secundum regulas pedestris sermonis *ut* cum conjunctivo adjicitur[2]).

Epist. 1: 17, 36 non cuivis homini *contingit* adire Corinthum. — 2: 2, 41 Romæ nutriri mihi *contigit* atque doceri. — A. P. 51 fingere *continget*. — Epist. 1: 16, 27 *restat* ire.

Uno loco apud Ciceronem vox *contingit* cum infinitivo versatur (pro Archia poëta 3, 4)[3]); *restat* autem cum *ut* Horatii Epist. 1: 1, 27.

c) **Inimicum est alicui** simul cum infinitivo positum, id quod Horatii et Varronis proprium[4]) est, significat: *damnosum est*.

Sat. 1: 5, 49 pilâ lippis *inimicum (est)* et ludere crudis.

d) Infinitivus ab Horatio, ut aliis poëtis, interdum apud **solum** *esse* impersonaliter usurpatum, quum idem valet quod *licere*, ut a Græcis ἐστι pro ἔξεστι, dicitur. Neque ullum substantivum aut adjectivum supplendum est[5]). Eodem modo Livius et Tacitus hoc verbo utuntur[6]).

Epod. 17, 25 neque *est* levare. — Sat 1: 2, 79 plus haurire mali *est* quam decerpere fructus. — 101 pæne *est* videre. — 5, 87 quod versu dicere non *est*[7]). — 2: 5, 103 *est* vultum celare. — Epist. 1: 1, 32 *est* prodire.

1) Sjöblom pag. 11.

2) Schultz § 399.

3) Vide R. Törnebladh ad hunc locum (Ciceronis Orationes selectæ VIII. Calmar 1862).

4) George.

5) Cfr. Petersson, De syntaxi Virgiliana quæstiones, Upsaliæ 1853, pag. 45.

6) Kühnast, pag. 247. Dræger.

7) Hoc loco Klotzii lexicon et Ritter secutus sum.

3) Infinitivo, ad verba movendi, dandi, sumendi aliaque addito, Horatius poëtarum more interdum designat, **quid res spectet** vel **quo consilio fiat.** Quo in usu Græcorum linguam imitatur [1]). Pro infinitivo boni scriptores orationis solutæ ad hanc notionem indicandam adhibere solent: a) vulgo præpositionem *ad* cum accusativo gerundii vel *ut* cum conjunctivo; b) apud verba *movendi* etiam supinum in *um* cadens; c) apud verba *dandi* et vocem *sumendi* (quæ significat suscipere) [2]) gerundivum ad accusativum objecti se applicans.

a) Od. 3: 8, 11 amphora fumum bibere instituta [3]). — Epod. 16, 15 forte quæritis, quid expediat carere (pro: ad carendum) laboribus [4]). — Epist. 1: 2, 27 fruges consumere nati [5]).

b) Od. 1: 2, 8 egit visere. — 23, 10 non ego te frangere persequor. — 2: 18, 40 levare vocatus [6]).

c) Od. 1: 26, 1 tristitiam et metus tradam portare ventis. — Sat. 1: 1, 25 ex parvo nobis tantundem haurire relinquas. — Od. 1: 12, 1 quem virum sumis celebrare? — Epist. 1: 3, 7 quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?

---

1) Grekisk Grammatik af Löfstedt, Stockholm 1868, § 93: III.

2) Vide Kruegeri grammaticam latinam § 496 b. Kuehneri gramm. § 127 Ann. 8 c. Franc. Ritter ad Od. 1: 12, 1.

3) Ritter verbum *institutæ* voce *repositæ* reddit. Cfr. Fahlcrantz ad hunc locum et Odyss. 4: 299.

4) Cavallin in suo lexico vertit: «hvad som kan förhjelpa till att»; etiam Kochius in suo lexico Horatiano: «es ist dienlich od. förderlich, verhilft zu etwas.» Cfr. Cic. De Or. 1: 24, 110 prodesse ad excogitandum; (alio loco) ad diuturnitatem dominationis expedit.

5) Cfr. Cic. Fin 2: 13, 40 homo ad intelligendum et ad agendum est natus. Sall. Jug. 24 eo natus sum, ut Jugurthæ scelerum ostentui essem. Horatius autem participium **natus**, ut posteriores auctores sæpe adjectiva *utilis*, *aptus*, *idoneus*, duobus locis cum dativo gerundii conjungit (A. P. 82 natum rebus agendis. — 377 animis natum inventumque poëma juvandis).

6) Vide Fahlcrantz et Kumlin ad hunc locum. Cicero De Or. 1: 10, 41 in formula legis actionis dicit: «aliquem ex jure manum consertum vocare.»

Etiam quotidiano Latinorum sermone sine objecto dicuntur: *alicui bibere ministrat* (Cic. Tusc. 1: 26, 65 Homerus Ganymeden ab dis raptum ait, ut Jovi bibere ministraret), *dat bibere* (Liv. et Terent.); sed hæc exempla rarissima sunt [1]).

Ann. De infinitivo post verba *aptandi* et *fingendi*. Vide supra 1: h.

4) Infinitivus apud Horatium, ut apud Græcos scriptores, loco **objecti** ad verba *dandi* et contrariam vocem *adimendi* apponitur; probi auctores illis verbis ad hanc sententiam declarandam vulgo *ut* cum conjunctivo attribuunt. Infinitivus pro substantivo habetur et *facultate aliquid faciendi* plerumque reddi potest [2]).

Od. 2: 16, 37 mihi Parca *dedit* spernere vulgus. — Sat. 2: 3, 191 di tibi *dent* capta classem redducere Troja (Horatius Homerum imitatus est). — Epist. 1: 16, 61 *da* mihi fallere, *da* justo sanctoque videri. — A. P. 83 Musa *dedit* fidibus referre. — 323 Grajis *dedit* ore rotundo Musa loqui. — Od. 1: 31, 17 frui paratis valido mihi *dones* nec turpem senectutem degere. — Sat. 2: 5, 60 divinare mihi *donat* Apollo. — Epist 1: 7, 28 *reddes* dulce loqui, *reddes* ridere et moerere. — Epist. 1: 19, 9 *adimam* cantare severis.

Ejusdem generis est infinitivus imperativo *refer* adjunctus, quæ vox est verbis dandi propinqua et finitima.

Epist. 1: 8, 2 Celso gaudere et bene rem gerere Musa *refer* (verte: bringa till Celsus (min önskan om hans) glädje och välgång!) [3]).

Annot. Ejusdem epistolæ quinto decimo versu (:primum gaudere, subinde præceptum auriculis hoc instillare memento) infinitivus *"gaudere"* eodem modo pro substantivo *"salute"*

---

1) Kruegeri grammatica latina § 476: 1. Schultz § 414 Anm. 1.

2) Madvig § 390 Anm. 6.

3) Cfr. id quod Græci dicunt: λέγειν τινὶ χαίρειν καὶ εὖ πράττειν. (Linder et Wahlberg).

versatur et ex verbo *instillare* pendet, unde nescio an zeugmati, quod vocatur, vox "referre" sumenda sit [1]).

5) Poëta et recentiores scriptores, exemplum Græcorum secuti, infinitivo pro *ut* cum conjunctivo (vel nonnumquam *ad* c. acc. ger.) apud verba utuntur, quæ significant, aliquem operâ alius commoveri, ut rem efficiat. Ex quibus verbis eo modo apud Horatium inveniuntur: *concedere*, *hortari*, *impellere*, *imperare*, *monere* cum composito *admonere*, *permittere*. Boni auctores apud ejusmodi verba *ut* cum conjunctivo normæ convenienter habent, tamen interdum infinitivum ponunt, præsertim nisi qui impellitur nominatur [2]) (velut Cic. de Fin. 1: 20, 66. — Sall. Jug. 19. — Cat. 1 extr.), atque etiam apud passivum verbi *concedendi*.

A. P. 373 mediocribus esse poëtis non homines, non di, non *concessere* columnæ. — Epist. 1: 5, 12 quo mihi fortunam, si non *conceditur* uti? — 1, 69 Fortunæ te responsare *hortatur*. — Od. 3: 7, 13 ut Proetum mulier perfida *impulerit* Bellerophonti maturare necem, refert. — Epist. 1: 5, 21 hæc ego procurare *imperor* (poëtice dictum pro: mihi imperatur, ut hæc procurem). — Carm. Sec. 5 Sibyllini *monuere* versus virgines lectas puerosque castos dicere carmen. — Sat. 1: 6, 25 me ire *admonuit*. — 2: 3, 189 inulto (ei) dicere *permitto*. (Cic., Nep., Liv. raro, Cæs. numquam) [3]).

Eandem vim, quam verba commovendi et cogendi, participia: *addictus*, *auctoratus*, *damnatus* continent, quare apud Horatium infinitivum regunt.

Epist. 1: 1, 14 nullius addictus jurare in verba magistri [4]). — Sat. 2: 7, 58. 59 uri virgis ferroque necari au-

1) Cfr. Franciscum Ritter ad hunc locum.

2) Schultz § 385 Anm. 2. Madvig § 390 Anm. 4 et 5.

3) Kühnast pag. 253. George.

4) Kochius in suo lexico Horatiano dicit, hoc loco esse attractionem pro: «*nulli* ita addictus *magistro*, ut in verba ejus jurem», id quod conferendum est cum Cic. Tusc. 2: 2, 5 «quasi addicti et consecrati sunt eaque necessitate constricti, ut etiam, quæ non probare soleant, ea cogantur constantiæ causa defendere.»

ctoratus eas[1]). — 3, 86 summam incidere sepulcro; ni sic fecissent, gladiatorum dare centum paria populo damnati.

Post verbum *damnandi* apud Juris Consultos et conjunctio *ut (ne)* cum conjunctivo et infinitivus versatur; sed nil nisi infinitivus post formulam testamentorum: *"damnas esto"* in legibus sequitur[2]).

6) Etiam apud vocem *interpellandi*, verbis *commovendi* contrariam, Horatius infinitivo pro conjunctione *ne* vel *quominus* et conjunctivo addito utitur[3]).

Sat. 1: 6, 127 quantum interpellet inani ventre diem durare.

Annot. Voci *prohibendi* bis apud Horatium aliud verbum atque id in sola forma infinitivi subjicitur. (Vide posthac III, B et D).

7) De infinitivo pro participio præsentis apud verba *inducendi*, *videndi*, *mirandi* posito infra acturi sumus (II, A: 1 & 3 & 5).

B. Cum **adjectivis** infinitivus a poëtis atque præcipue ab Horatio ut lyrico conjungitur, quo plenius enuntietur, ad quam rem notiones adjectivorum pertineant. Quem ad usum exemplum Græcorum plurimum valuit. Et primo ea adjectiva, quæ proprie sunt participia verborum infinitivum vulgo vel poëtice regentium, etiamsi illa vocabula comparative dicuntur, itemque adjectiva ex ejusmodi verbis formata poëtæ sic usurparunt. Deinde etiam adjectiva, quæ idem declarant quod hæc participia (velut *audax* dicitur pro audens, *nescius* pro nesciens, *timidus* pro timens, *firmus* pro: valens vel qui potest etc.), in astricta oratione infinitivo connexa sunt. Plerumque infinitivus activi sic cum adjectivis sociatur, sed

---

1) *Eas* solum fortius idem declarat quod *sis*. (Vide Kruegerum ad hunc locum). Quintilianus dicit: «auctorare se *ut* aliquid faciat» et «auctoratus ad sepeliendum patrem.» (Vide Klotzii lexicon).

2) Klotz, Freund, Kruegerus ad Sat. 2: 3, 86.

3) Apud Ciceronem, quum hoc verbum affirmatur, uno loco *quominus;* apud Livium (4: 43. 8) *ne*. Vide Schultz § 353 Ann. 1. Johansson pag. 14.

pro supino in *u* exeuente semper infinitivus passivi dicitur [1]). Exempla ex Horatio sumpta, ut adjectiva in oratione soluta formis verbi adjunguntur, ita distribuimus.

1) Adjectiva, quibus apud optimos scriptores nulla forma verbi additur.

Sat. 1: 10, 60 pedibus quid claudere senis, hoc tantum contentus [2]). — Od. 1: 29, 9 doctus [3]) sagittas tendere. — 3: 6, 38 proles, Sabellis docta ligonibus versare glebas et severæ matris ad arbitrium recisos portare fustes. — 24, 56 ludere doctior. — 4: 13, 7 doctæ psallere. — Carm. Sec. 75 doctus dicere laudes. — Sat. 1: 10, 19 doctus cantare. — Od. 2: 6, 2 indoctum juga ferre nostra (i. e. qui non didicit). — Sat. 1: 3, 120 meritum [4]) subire verbera. — Od. 3: 2, 21 immeritis mori (i. e. non meritis). — Epist. 1: 7, 57 notum et properare et uti (i. e. quem notum erat). — Sat. 1: 8, 17 suetus [5]) vexare. — 2: 2, 11 assuetum [5]) græcari.

2) Vulgo infinitivus pro præpositione *ad* cum accusativo gerundii conjuncta versatur, quum adjectivo consilium vel consecutio indicatur [6]).

Od. 1: 3, 25 audax omnia perpeti (pro: ad omnia perpetienda) [7]) — 12, 12 blandum [8]) ducere. — 10, 8 calli-

---

1) Cfr. Petersson pag. 45 & 46.

2) Cum infinitivo recentiores auctores; egregii scriptores libentius: «*satis habens*.» Vide Lateinische Schulgrammatik von Johann Philipp Krebs, Leipzig 1858, § 321: 2 et Berger, Lateinische Statistik pag. 10, Celle 1867.

3) Proprie part. perf. ex verbo docendi.

4) Verbum *merendi* apud Ciceronem *ut* cum conjunctivo (de Or. 1: 54, 232); apud recentiores auctores infinitivum regit. Vide Kruegeri gramm. § 476: 4 et Berger, Stilistik, pag. 11.

5) Apud Livium cum infinitivo (Petersson pag. 46 et Kühnast pag. 247; cfr. Kruegeri gramm. § 476: 2). *Suescere* et *assuescere* cum inf. Cic. Nat. D 2: 43, 111 (poëtice). — De Fin. 5: 2, 5.

6) Vide Kuehnerum ad Cic. Tusc. 3: 5, 11; Editionem quintam, Hannoveræ 1874.

7) Cic. Cat. 2: 5, 9 «paulo ad facinus audacior.

8) Vide Kumlin, quem in exemplis sæpe secutus sum.

dum[1]) çondere. — 3: 11, 3 callida resonare. — 12, 11 catus[2]) jaculare. — 3: 12, 10 celer excipere. — Epist. 1: 20, 25 irasci celerem. — Od. 1: 35, 28 dolosi[3]) jugum pariter ferre. — 4: 12, 20 efficax[4]) eluere. — Epist. 1: 17, 47 firmus[5]) pascere. — Od. 1: 37, 26 fortis[6]) tractare serpentes. — 3: 3, 50 spernere fortior. — Sat. 2: 7, 86 responsare cupidinibus, contemnere honores fortis. — Epist. 1: 16, 12 idoneus[7]) dare. Od. 4: 14, 22 impiger[8]) vexare et mittere. — 1: 37, 11 quidlibet impotens sperare. — 1, 18 indocilis[9]) pauperiem perpeti. — 24, 17 lenis fata recludere. — Carm. Sec. 14 aperire partus lenis. — Sat. 2: 3, 13 tanto certare minor[10]). Od. 2: 7, 12 carpere iter parati[11]). — Epod 1, 3 paratus omne periculum subire. — 17, 38 paratus expiare. — Epist. 2: 1, 184 depugnare parati. — A. P. 105 relinquere pernix. Sat. 1: 4, 12 piger[12]) ferre laborem. — Od. 1: 35, 2 præ-

---

1) Callidus ad fraudem (Cic.); in disputando mire callidos (Quint.). Vide Klotzii lexicon.

2) Varro dicit, hanc proprie esse vocem Sabinam pro *acutus* (Cic. de Or. 1: 25, 113 «acuti ad excogitandum»); etiam *in* et ablat. ger. (Vide Kumlin III. pag. 91).

3) Vide Franciscum Ritter ad hunc locum.

4) Hoc adjectivum apud Ciceronem et Cæsarem non versatur (vide Freund et Berger, Stilistik, pag. 3), sed apud Livium 8: 36 dicitur: «nec quidquam ad salubritatem efficacius.»

5) Cic. «firmus ad castra facienda» (Freund); Cæs. B. G. 7: 60 «cohortes ad dimicandum firmæ.» Cfr. Ritter ad hunc locum.

6) Schultz gramm. § 384 Anm. 1.

7) Vetuste ac probe etiam *qui* cum conjunctivo; raro apud bonos scriptores dativus gerundii versatur.

8) Vide Ritter; Cic. «piger ad scribendum» (Klotz).

9) Vide Fahlcrantz ad hunc locum.

10) Kruegeri gramm. § 476: 4. Cfr. Cic. de Or. 1: 23, 109; sed sæpius *quam ut* vel *quam qui* c. conj.

11) Adjectivum *paratus* apud Ciceronem infinitivum non habet, nisi verbo *esse* conjungitur (Kühnast pag. 247) et de personis dicitur; apud Horatium semper verbo *esse* caret atque cum infinitivo, sed de personis ponitur.

12) Vide ad verbum «*impiger.*»

sens [1]) tollere vel vertere. — 3: 21, 22 segnes [2]) nodum solvere. — 19, 2 non timidus [3]) mori. — 4: 9, 52 non timidus perire. — A. P. 204 tibia aspirare et adesse choris erat utilis [4]) atque complere.

3) Infinitivus pro præpositione *in* cum ablativo gerundii conjuncta [5]).

Sat. 1: 6, 51 cautum [6]) assumere. — Od. 1: 15, 18 celerem sequi. — 4: 6, 39 celerem volvere. — Sat. 1: 4, 8 durus [7]) componere versus. — Od. 4: 12, 19 largus [8]) donare. — 1: 12, 2 superare pugnis nobilem [9]). — 3: 29, 50 ludere pertinax [10]). — Sat. 2: 8, 24 ridiculus totas simul absorbere placentas. — Epist. 1: 15, 30 quælibet in quemvis opprobria fingere sævus. — Carm. Sec. 25 veraces cecinisse.

4) Infinitivus pro genetivo gerundii.

Od. 1: 6, 6 cedere nescii. — 4: 6, 18 nescios fari. — Sat. 2: 3, 109 nescios uti. — Od. 4: 17, 47 prudens [11]) dissipare. — 7, 25 sciens [12]) flectere.

5) Infinitivus sæpe in vincta oratione Latinorum cum adjectivis *dignus* et *indignus* (ut apud Græcos cum ἄξιος et ἀνάξιος) ponitur, quum præstantissimi auctores pronomen *qui* cum conjunctivo usurpent (apud Liv. infinitivus post adje-

---

1) Cic. «præsentes vires ad nocendum» (Klotz).

2) Cic. De Fin. 1: 10, 34 «ad respondendum segnior.»

3) Cic. De Fin. 2: 20, 63 «non timidus ad mortem.»

4) Raro apud optimos scriptores cum dativo gerundii.

5) Solus ablativus gerundii raro ex verbo aut adjectivo pendet. Vide Ellendt-Seyffert, Grammatik, Stockholm 1868, § 339 Anm. 1.

6) A. P. 46 hoc adjectivum cum præpositione *in* et ablativo gerundii versatur, ut apud Ciceronem (Klotz).

7) Madvig § 419.

8) Kumlin III, pag. 92.

9) Cic. «in bello nobilis» (Cavallin).

10) Cic. De Fin. 1: 8, 27 «in disputando pertinaces.»

11) In or. sol. etiam præpositio *in* cum ablativo gerundii versatur. Madvig § 289 b Anm. 3. Schultz § 275 Anm. 1. Klotz.

12) Cic. De Or. 1: 49, 124 «vir reipublicæ regendæ scientissimus.»

ctivum *dignus)*[1]; tamen apud Horatium adjectivum *indignus* cum infinitivo personaliter conjunctum impersonali locutioni respondet.

Od. 3: 21, 16 moveri digna. — Sat. 1: 3, 24 dignusque notari. — 4, 3 dignus describi. — 25 culpari dignos. — 10, 72 digna legi. — Epist. 1: 10, 48 tortum digna sequi potius quam ducere funem. — A. P. 83 intus digna geri. — 283 dignam lege regi. — Epist. 1: 3, 35 indigni fraternum rumpere foedus (i. e. quibus indignum (quos non decet) rumpere). — A. P. 231 effutire leves indigna tragoedia (est) versus (Eodem modo hic locus interpretandus est)[2].

6) Infinitivus passivi pro supino in *u* cadente[3].

A. P. 163 cereus flecti. — Od. 2: 4, 11 leviora tolli. — 1: 19, 8 lubricus adspici. — 4: 2, 59 niveus videri.

C. Infinitivus interdum apud Horatium insolentius versatur ut appositio: semel apud pronomen *hic*, quum substantivum est supplendum; deinde apud neutrum genus *hoc*, sive hæc forma adjectivum determinat, sive in nominativo ad nomen prædicati se applicat (ita tamen nonnumquam apud bonos auctores)[4]. Qui usus ex eo manat, quod infinitivus pro substantivo verbali habetur.

Epod 16, 21 nulla sententia sit potior hac, ire[5]). — Epist. 1: 1, 61 hic murus aheneus esto: nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ. — Sat. 1: 10, 59 pedibus quid claudere senis, hoc tantum contentus. — A. P. 397 fuit hæc sapientia quondam, publica privata secernere etc. (quinque infinitivi versantur).

D. Nullo loco apud Horatium infinitivum substantivo exposito conjunctum inveni. Nam de Sat. 2: 2, 123 *ludus erat*

1) Kühnast pag. 247.

2) Vide Kochium et Kruegerum ad hos locos.

3) Petersson pag. 46 et Kumlin III pag. 93.

4) Cfr. Madvigii gramm. § 388.

5) Fahlcrantz et Ritter vocem *sententiâ* ad verbum *hâc* intelligi volunt.

culpâ magistrâ potare, ubi unus et alter censet esse exemplum infinitivi pro genetivo gerundii cum substantivis connexi; facile est intellectu, infinitivum esse subjectum verbi *erat* [1]). Contra observandus esse videtur infinitivus ex eodem verbo quo objectum substantivi apud Horatium sæpe pendens [2]).

Od. 1: 1, 19 Est, qui nec — *pocula* nec — *demere* spernit. — 2, 50 hic *triumphos*, hic ames *dici* pater. — 2: 16, 38 mihi parva *rura* et *spiritum* Grajæ Camenæ Parca dedit et *spernere* vulgus. — Epist. 1: 7, 25 reddes forte *latus*, nigros *capillos*, reddes dulce *loqui* etc. — 1: 8, 16 primum *gaudere*, subinde *præceptum* auriculis hoc instillare memento. — A. P. 323 Grajis *ingenium*, Grajis dedit ore rotundo Musa *loqui*.

E. Proprium poëtarum est, infinitivum ex præpositione *præter* pendere. Cujus rei unum exemplum apud Horatium versatur.

Sat. 2: 5, 69 inveniet nil sibi legatum (esse) *præter plorare*.

Annot. In or. sol. numquam infinitivus præpositioni adjicitur nisi in elocutione: *interest inter* velut De Fin. 2: 13, 43.

II. De Accusativo cum infinitivo.

A. De conformatione, quæ vocatur, accusativo cum infinitivo alii verbo subjicienda haud multum interest inter Horatium et Ciceronem. Sed tamen ille ad orationem magis distinctam reddendam vocabula sæpe adhibet, quæ idem quod verba in oratione soluta usitata significant, sed fortiora et uberiora sunt.

1) Exempla vocabulorum, quæ sunt verbis *dicendi* finitima.

---

1) Vide Kochium et Kruegerum ad hunc locum.

2) Cfr. Sall. Cat. 6 «avaritia superbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere edocuit.»

Od. 2: 9, 22 *cantemus*[1]) flumen volvere etc. — Sat. 2: 2, 5 si quis *edixerit* mergos asses suaves (esse). Od. 1: 5, 14 me paries *indicat* suspendisse. — Sat. 1: 3, 122 quum *mineris* recisurum te. (Cic. sic usurpat verbum *minitandi*[2]). — Sat. 2: 3, 225 *vincet* stultos ratio nepotes insanire (sic raro apud Cic.). — 250 si puerilius ratio esse *evincet* amare (Cic. sic habet *convincere*)[3]). — Epist. 2: 1, 125 si *das* hoc, parvis quoque rebus magna juvari (Sic etiam Cic. Tusc. 1: 11, 25)[4]).

Præcipue animadvertendum est, verbum *inducendi* (suethice: *framställa),* quod in prosa oratione secundum regulam accusativum cum *participio præsentis* verborum activorum regit, uno loco apud Horatium ad simulitudinem verborum narrandi accusativum cum infinitivo sequi. Sic etiam apud Tacitum[5]).

Sat. 1: 2, 21 quem fabula *inducit* miserum vixisse (Animadvertendum est, participium *vivens* desiderari)[6]).

2) Elocutiones, quæ *opinionem* exprimunt et poëtice accusativum cum infinitivo habent.

Epist. 1: 19, 44 *fidis* manare poëtica mella te solum (etiam apud Livium; optimi auctores eodem modo verbum *confidendi* usurpant)[7]). — C. S. 74 hæc Jovem sentire *domum spem reporto* (i. e. spem habeo, spero). — Sat. 1: 6, 130

---

1) Verbum *canendi* sæpe apud Livium accusativum cum infinitivo habet velut 1: 7, 10. — 45, 5.

2) Klotz et George.

3) Hoc verbum, eandem vim continens, cum particula *ut* et conjunctivo sociatur Sat. 1: 3, 115.

4) Kuehnerus ad hunc locum: «Verbum dandi», inquit, «proprium est in philosophorum disputationibus pro *concedendo*.»

5) Vide Dræger, Ueber Syntax und Stil des Tacitus.

6) Vide Kochium et Kruegerum ad hunc locum.

7) Velut Cic. De Or. 1: 5, 19. — De Fin. 1: 8, 28 ac sæpius (præterea quinque exempla Klotzius nominat). — Cæs. B. G. 1: 23, 3. — 2: 30, 2. — 3: 9, 4. — 4: 30. — 5: 39, 4. — Nep. Milt. 1, 1. — Sall. Cat. 11 extr. — 17 extr. — Jug. 26. — Liv. 4: 32, 6.

his me *consolor* victurum suavius (hoc loco in verbo consolandi notio sperandi inest) [1]).

3) Ut verba sensuum vox *videndi*, etiamsi denotat rem sensibus sive oculis sive (poëtice) auribus perceptam, accusativo cum infinitivo apud Horatium sociatur, quum in prosa oratione accusativus cum participio præsentis activi juste ponatur.

Od. 1: 2, 13 vidimus flavum Tiberim ire (pro: euntem). — Sat. 1: 4, 86 sæpe videas cenare quaternos. — 5, 76 convivas servosque rapere atque restinguere velle videres. — 8, 34 serpentes atque videres infernas errare canes lunamque latere. — 50 dentes excidere videres. — 2: 8, 78 tum videres (pro: audires) stridere divisos susurros [2]).

Præterea ex verbis cognoscendi observandum est **resciscere**, quod Freund in suo lexico dicit maxime ante optimorum scriptorum ætatem usitatum fuisse.

Epist. 2: 1, 227 simulatque carmina *rescieris* nos fingere.

4) Ut *cupere* et *velle* voces **gestiendi** et **poscendi**; ut *prohibere* vel *non pati* verbum **invidendi** accusativum cum infinitivo regit.

Sat. 1: 4, 37 *gestiet* omnes scire. — A. P. 339 ne *poscat* fabula sibi credi. — Sat. 1: 2, 100 plurima, quæ *invideant* rem apparere tibi.

Annotatio 1. De Od. 1: 4, 12 *seu poscat agnâ, sive malit hædo* vulgo supplere solent: *sibi immolari*, sed nihil simul audiri opus est, si cum Francisco Pauly [3]) legimus: *agn***am**, *hæd***um**.

Annot. 2. De verbis *hortandi*, *impellendi*, *monendi*, *admonendi*, quæ etiam in prosa oratione accusativum objecti regunt, sed apud Hor. ad similitudinem verbi jubendi infinitivo pro *ut* cum conjunctivo sociantur, vide supra I, A, 5 [4]).

---

1) Kochius in suo lexico Horatiano vertit: «getrost hoffen.» Kruegerus ad hunc locum dicit: «indem ich hoffen darf hierbei zu leben.»

2) In exemplis describendis Kochium secutus sum.

3) Horatii opera omnia. Lipsiæ MDCCCLV.

4) Non alienum esse videtur hic afferre, ubi Horatius verba **jubendi**, **vetandi** imperativumque **sine** particulis *ut*, *ne* vel solo *con-*

5) Verba *affectuum* in oratione soluta accusativo cum infinitivo carentia.

Od. 1: 5, 6 heu quoties fidem (supple: mutatam) mutatosque deos (esse) *flebit*[1]. — Epist. 1: 17, 56 catellam raptam (esse) sibi *flentis*. — 15, 7 vicus *gemit* sulphura contemni. — Epist. 2: 1, 224 *lamentamur* labores non apparere. — 1: 17, 54 cistam effractam et subducta (esse) viatica *plorat*. — 2: 1, 9 *ploravere* favorem non respondere meritis.

Commemorandum est de Od. 2: 13, 30 *mirantur utrumque dicere*, infinitivum pro participio præsentis (dicentem) versari. Nam in voce *mirantur* hic inest notio: *cum admiratione audiunt*[2].

6) Accusativus cum infinitivo subjecti loco ad verba insolenter impersonalia appositus.

Epist. 1: 1, 81 *esto* alios aliis rebus studiisque teneri. — Od. 2: 17, 2 nec dis *amicum est* nec mihi te prius obire (cfr. id quod Græci dicunt: *φίλον ἐστί μοι;* Latinorum sermone usurpatur: placet)[1]. — Sat. 2: 2, 30 deceptum (esse) te *patet* (Etiam Cic. Tusc. 1: 23, 54).

7) De universo usu conformationis accusativi cum infinitivo conjuncti apud Horatium, quum alio verbo regitur, hæc observanda videntur:

a) Uno loco objectum substantivi et accusativus cum infinitivo ad idem verbum referuntur.

---

junctivo annectat, quum in or. sol. juste accusativus cum infinitivo postuletur, etsi recte dicunt, usum particularum vulgo apud poëtas, qui infinitivum frequentius usurpent, aliquantum circumcidi.

Sat. 1: 4, 121 *jubebat, ut* facerem quid. — 2: 3, 187 *ne* quis humasse velit Ajacem, *vetas* cur? — Epist. 2: 1, 239 edicto *vetuit, ne* quis se præter Apellem pingeret. (Cfr. Sat. 1: 4, 124). — Od. 3: 2, 26 *vetabo*, qui — — —, sub isdem *sit* trabibus fragilemque mecum *solvat* phaselon. — Epist. 1: 16, 70 sq. *sine pascat aret*que etc. (quattuor conjunctivi sequuntur). — 17, 32 *sine vivat* ineptus.

1) Vide Kumlin ad hunc locum.

2) Vide ad hunc locum Fahlcrantz, Kumlin, Kochium.

Od. 2: 9, 19—24 potius nova cantemus Augusti *tropæa* Cæsaris et rigidum *Niphaten* Medumque *flumen* minores *volvere*[1]) vertices intraque præscriptum *Gelonos equitare.*

b) Sæpe infinitivus *esse* desideratur neque solum, ut in prosa oratione vulgo fieri solet, in temporibus cum participiis perf. et fut. activi compositis aut apud gerundiva, sed etiam apud substantiva et adjectiva [2]). Interdum *fore* abest.

Sat. 1: 1, 12 solos felices (esse) viventes clamat in urbe. — 2, 130 miseram se (esse) clamet. — 2: 3, 130 insanum (esse) te omnes pueri clamentque puellæ. — 305 stultum me (esse) fateor. — Epist. 1: 16, 21 si te populus sanum (esse) recteque valentem dictitet. — 2: 2, 20 dixi me pigrum (esse), etc. — 1: 7, 55 narrat, Voltejum (esse) nomine Menam [3]). — 18, 2 (vide infra III, B). — Sat. 1: 1, 84 non uxor salvum (esse) te vult [4]). — Epist. 1: 16, 27 tene magis salvum (esse) populus velit an populum tu.

Sic sæpe more poëtarum verbo **credendi** vox *esse* deest, quod ita çum duobus accusativis conjungitur [5]).

Sat. 2: 3, 52 hôc te crede modo insanum. — 92 credidit ingens pauperiem vitium. — 232 id crede tuum. — Epist. 1: 9, 13 hunc fortem crede bonumque. — 14, 19 quæ deserta et inhospita tesqua credis. — 2: 1, 101 quod non mutabile credas. — A. P. 295 ingenium fortunatius arte credit.

Od. 1: 5, 10 (te) semper vacuam (fore), semper amabilem sperat. — 13, 14 non speres perpetuum (fore) lædentem oscula.

---

1) Hæc vulgata lectio melior et nervosior mihi videtur quam Nauckii: *vertere.*

2) Madvig § 479 a Anm. extr.

3) Vide Kruegerum ad hunc locum.

4) Raro in or. sol. dicitur: «volo (malo) me physicum», infinitivo *esse* omisso. Vide Kuehnerum ad Tusc. 5: 33, 66; Madvigium ad De Fin. 2: 31, 102. — 5: 5, 13.

5) Infinitivus *esse* in conspectum venit Hor. Epist. 1: 1, 43 «quæ maxima credis esse mala.»

B. Accusativus cum inf., ad nullum verbum revocatus, quinquies ab Horatio, ut sæpe a Cicerone, plerumque cum particula interrogativa *ne* connexus, ad animi dolorem vel indignationem vel admirationem indicanda adhibetur. Neque opus est, ut complures [1]) volunt, suppleri enuntiationem regentem sicut: *nonne indignum, mirum est? num credibile est? verene ita est?* [2]).

Epod. 8, 1 rogare te. — 11, 11 contrane lucrum nil valere candidum ingenium. — Sat. 1: 9, 73 hunccine solem tam nigrum surrexe. — 2: 4, 83 ten lapides lutulenta radere palma et dare circum illota toralia vestes. — 8: 67 tene torquerier.

III. De solo infinitivo pro accusativo c. inf.

A. Sæpius quam in oratione sol. verbi *dicendi* passiva forma personaliter cum inf. etiam in temporibus *cum perf. partic. compositis* ab Horatio usurpatur, atque adeo *solum perfectum participii* ita versatur. Deinde more poëtarum et recentiorum scriptorum voces *credendi* et *narrandi passive* dictæ cum nom. et inf. conjunguntur, quæ conformatio etiam verbi *memorandi* passivæ formæ subjicitur, quæ apud bonos auctores sæpius impersonaliter simul cum acc. c. inf. ponitur [3]). Hoc verbum præterea rarissimum est apud Ciceronem, ac pro eo sæpius in or. sol. exstat **commemorare** [4]).

Od. 2: 19, 26 choreis aptior (esse) dictus. — 3: 14, 1 dictus petiisse. — Epist. 1: 15, 6 dicta elidere. — Sat. 2: 8, 2 dictus (es) potare. — A. P. 393 dictus lenire. — 394 dictus movere et ducere. — Epist. 2: 1, 168 commoedia creditur habere minimum sudoris. — Od. 3: 21, 11 narratur prisci

---

1) Kuehnerus ad Cic. Tusc. 2: 9, 22, ubi alios grammaticos affert.

2) Vide Kruegeri gramm. § 571: 1, qui accusativum c. inf. sic positum cum solo accusativo in exclamationibus usurpato comparat.

3) Madvig § 227 Anm. 2, § 400 b. Schulz § 392 Anm. 1.

4) Vide Freund et Klotzium.

Catonis sæpe mero caluisse virtus. — Epist. 1: 2, 6 fabula, qua narratur Græcia Barbariæ collisa (esse) duello. — Sat. 1: 1, 64 quidam memoratur contemnere solitus (esse).

Annot. Etiam in conformatione, quæ vocatur, nom. c. inf. vox *esse* sæpius quam in or. sol. desideratur.

Od. 2: 19, 27 non sat idoneus (esse) pugnæ ferebaris. (Cfr. superiorem versum). — Epist. 1: 19, 6 Homerus arguitur (esse) vinosus laudibus vini [1]).

B. Licentius quam in prosa oratione Horatius, ut alii poëtæ, subjectum infinitivi, præcipue pronomina *me*, *te*, *se*, *nos*, *vos*, *eum*, *eos* omittit. Apud bonos auctores hæc raro desunt, nisi eadem vox brevi spatio, potissimum in eâdem forma, maxime apud verba dicendi et existimandi præcedit, aut pronomen demonstrativum ad relativum spectat, et hoc eundem casum habet. Cetera maxime a scriptoribus rerum pronomen *se* in continuata oratione obliqua præteritur vel simul cum futuro infinitivi act., præsertim si *esse* abest. Attamen semper in oratione sol. ac plerumque apud poëtas vox ad accusativum subjecti pertinens casum accusativi servat [2]).

Sat. 1: 1, 63 Quid facias illi? Jubeas (eum) miserum esse.—6, 62 jubes (me) esse in amicorum numero. — 94 si natura juberet (me) ævum remeare peractum. — 10, 90 (te,) Demetri, teque, Tigelli, jubeo plorare [3]). — Sat. 2: 3, 77 (eum) audire atque togam jubeo componere quisquis. — 5, 38 (eum) ire domum atque pelliculam curare jube. — 7, 33 jusserit ad se Mæcenas (te) [4]) serum sub lumina prima venire convivam. — Epist. 1: 7, 14 piris vesci (aliquem) Calaber jubet hospes.

---

1) Vide Kochium.

2) Untersuchungen aus dem Gebiete der lateinische Sprachlehre von G. T. A. Krüger, Drittes Heft, Braunschweig 1827, § 133. 134. Madvig § 401. Kruegeri gramm. § 570 Anm. 4. Kuehnerus § 128: 2 Anm. 4; idem ad Cic. Tusc. 1: 25, 60. Schultz § 387 Anm. 4, § 316 extr.

3) Hoc loco de duabus diversis personis agitur; in prosa oratione solum de una eademque.

4) Observa formam «*tibi*» proxime antea dictam.

— 17, 8 (te) Ferentinum ire jubebo[1]. — Sat. 1: 1, 25 ridentem (me) dicere verum quid vetat? — A. P. 135 nec desilies, unde (te) pedem proferre pudor vetat aut operis lex. — Sat. 1: 6, 57 pudor (me) prohibebat plura profari. — Od. 1: 19, 10 nec Venus patitur (me) Scythas dicere[2]. — 3: 9, 15 pro quo bis patiar (me) mori[3]. — Sat. 1: 10, 29 (eos) patriis immiscere petita verba foris malis[4]. — Sat. 1: 8, 3 faber maluit (me) esse deum. — Epist. 1: 8, 3 dic (me) multa minitantem vivere. — 2, 11 (se) cogi posse negat. — 16, 36 si clamet (me esse) furem, neget (me) esse pudicum, contendat (me) laqueo collum pressisse paternum. — 18, 2 professus (te esse) amicum. — Epist. 2: 1, 244 (eum) Boeotum jurares natum (esse). — Sat. 1: 4, 39 dederim quibus (eos) esse poëtas[5]. — Od. 1: 5, 10 (vide supra II, A, 7, b). — A. P. 418 (me) nescire fateri. — Epist. 1: 9, 5 (me) fungi censet. — 18, 27 (eum) plus sapere quam se et virtutibus esse priorem vult[6]. — 106 quid (me) sentire putas, quid credis (me) precari?[7].

Separatim verba affectuum nominanda sunt, quæ ad rem universam spectantia accusativo cum infinitivo conjungenda erant, sed apud quæ accusativum subjecti, quum est pronomen reflexivum, poëtæ sæpe omittunt. Cujus generis apud Horatium sunt: *gaudere*, cui est finitimum *renidere; gloriari; dolere; gemere; indignari*[8]; *negligere* (de verbis *gemendi* et *plorandi* vide supra II, A). Quorum plerumque eandem vim habet **gaudere** quam *velle;* **dolere, gemere, indignari** quam *nolle;* **negligere** quam *non vereri.*

---

1) *Te* in versu proximo superiore, non tamen enuntiatione exstat.

2) Pronomen *me* superiore versu, sed satis procul est.

3) «*Me*» non reperitur nisi versu 13.

4) Vide Kruegerum ad hunc locum.

5) Cfr. Klotzii lexicon.

6) Vox «*quem*» huc pertinens non exstat nisi versu 24.

7) Vox «*me*» longe remota versu 104 invenitur.

8) Schultz § 401. Kruegeri gramm. § 563: 3. Anm. 2, § 565. Madvig § 397.

Od. 1: 1, 11 gaudentem (se) findere. — 34, 16 gaudet (se) posuisse. — 3: 6, 21 (se) doceri gaudet. — 18, 15 gaudet (se) pepulisse. — Sat. 1: 4, 78 lædere (te) gaudes. — 2: 8, 62 gaudes (te) illudere. — Od. 3: 6, 11 renidet [1]) (i. e. gaudet) (se) adjecisse. — Epod. 11, 23 gloriantis (se) vincere. — Od. 4: 4, 62 (se) vinci dolentem. — Epist. 1: 20, 4 (te) ostendi gemis. — A. P. 90 indignatur privatis carminibus (se) narrari cena Thyestæ. — Od. 3: 10, 4 plorares (te) me objicere (potius dicendum erat: me abs te objici; eodem modo supra Epod. 11, 23). — 1: 28, 30 negligis immeritis nocituram postmodo te natis fraudem committere? [2]) (longe alia est hujus verbi sententia, quum Cicero infinitivum subjungit).

C. *Attractio Græca.* Quum idem subjectum est infinitivo et verbo sententiæ principalis, interdum Latini poëtæ accusativum subjecti (pronomen reflexivum) prætermittunt atque attributum vel nomen prædicati, quod ad hunc pertinet, Græcorum more ad subjectum verbi finiti relatum in nominativo ponunt [3]). Horatius quidem hoc modo dicendi utitur non solum ad usitata verba voluntatis et studii (quæ verba apud Ciceronem et priores scriptores plerumque reflexiva forma sequitur [4]); numquam apud Horatium, quod quidem invenerimus, nisi duobus locis) [5]) itemque verba finitima (vide

---

1) Vide Kumlin III pag. 91 et Dillenburger pag. 165. Hic unum exemplum apud Catullum affert, ubi *renidere* quod cum indicativo habet.

2) Verbum *negligendi*, quum suethice vertitur: «anse för intet», in or. sol. semper accusativum c. inf. habet. Hic tamen id *te*, quod conspicitur, pro ablativo magis putandus et ad natis referendus ex suo statu videtur. Ita accusativus subjecti *te* abest. Vide Fahlcrantz ad hunc locum.

3) Madvig § 401 Anm. 3. Schultz § 387 Anm. 11. Kruegeri gramm. § 570 Anm. 3.

4) Krüger Untersuchungen aus dem Gebiete der lateinische Sprachlehre. III, § 132.

5) Sat. 1: 2, 35 Nolim laudarier sic me. — A. P. 35 hunc ego me non magis esse velim quam naso vivere pravo.

supra I, A, 1, c—f); sed etiam ad hæc: *invidere, pati* (sæpius) atque verba *dicendi* et *sentiendi* Græcorum linguam imitatur.

Od. 1: 37, 31 Liburnis invidens *privata deduci* (pro: se privatam deduci). — 2, 44 patiens *vocari* Cæsaris *ultor* (i. e. te vocari Cæsaris ultorem).—Epist. 1: 5, 15 patiarque vel *inconsultus haberi.* —16, 30 pateris *sapiens emendatus*que *vocari.* — 7, 22 vir bonus et sapiens ait *esse paratus.* — Od. 3: 27, 73 *uxor* Jovis *esse* nescis.

Annot. De Od. 3: 4, 73 *terra dolet injecta suis monstris* sunt qui putent, vocem *injecta* pro: *se injectam esse* dici [1]. Sed multo potius existimandum est, participium positum esse ad similitudinem locutionis Græcorum *ἄχθομαι ἀδικούμενος* [2]. Eodem modo Epist. 2: 1, 267 *ne rubeam pingui donatus munere* ut *αἰσχύνομαι ποιῶν* accipi debet.

D. Apud verba *jubendi*, quum persona, cui res præcipitur, non indicatur, infinitivus **activi** cum accusativo **objecti** pro infinitivo *passivi* cum accusativo *subjecti* a poëtis sæpe usurpatur. Quæ res apud optimos scriptores rarissima est et solum in imperiis militaribus vel in legibus interdum versatur, si subjectum infinitivi ex re ipsa facile intelligitur [3].

Od. 2: 3, 14 huc vina et unguenta et flores *ferr***e** jube. — 15, 20 leges jubentes oppida *decorar***e**. — 3: 21, 7 Cervino jubente *prom***ere** languidiora vina. — 24, 42 magnum pauperies approbium jubet quidvis et *facere* et *pati* (pro: fieri et perferri). — A. P. 440 *deler***e** jubebat et male tornatos incudi *redd***ere** versus [4]. — Od. 1: 6, 12 Musa vetat laudes Cæsaris culpa *deter***ere** ingeni [5]. — Epist. 2: 1, 23 tabulas *peccar***e** vetantes. — Od. 3: 19, 15 tres (cyathos) prohibet supra *tang***ere** Gratia. — 2: 15, 18 nec *spern***ere** cespitem leges sinebant.

---

1) Vide Kumlin III pag. 51; cfr. Dillenburger pag. 96.

2) Vide Nauckium ad hunc locum. Löfstedt, Grekisk Grammatik § 94: III.

3) Vide Kruegeri gramm. § 569: 3 Anm. 1 a.

4) Etiam *te* ex præcedente versu sumi potest.

5) Sic Kumlin; sed quid impedit, quominus pronomen *nos* ex quinto versu suppleatur?

E. Uno loco præsens infinitivi pro accusativo *se* et futuro infinitivo Horatius usurpat.

Od. 1: 15, 7 conjurata rumpere nuptias. (Sic etiam Sall. Jug. 52).

Hunc locum complures ita interpretantur, ut dicant, infinitivo consilium significari, et hanc formam verbi præpositioni *ad* cum accusativo gerundii vel conjunctioni ut cum conjunctivo sociatæ respondere, quarum hæc apud Livium versatur. Sed neutram compositionem apud Ciceronem aut Cæsarem inveni, quorum hic B. G. 8, 13[1]) vocem **conjurandi** loco verborum promittendi habet atque adeo interdum solum præsens infinitivi pro accusativo *se* et futuro infinitivi ad verba **pollicendi, confidendi, sperandi** apponit[2]).

F. Maxime proprie poëtarum et recentiorum auctorum ad verbum *censendi*, quum suethice valet: "rösta för", infinitivus activi cum accusativo objecti reperitur, quum in or. sol. vulgo accusativus subjecti cum gerundivo, infinitivo *esse* posito vel omisso (præcipue Cic. et Sall.), aut interdum cum infinitivo præsentis passivi (Liv. et Sall. Jug. 21 extr.) conjunctus[3]) aut apud Cæsarem sæpe etiam conjunctio *ut* cum conjunctivo sequatur[4]):

Epist. 1: 2, 9 censet præcidere causam belli.

IV. De dativo cum infinitivo.

Quæ verba apud Horatium præter consuetudinem orationis solutæ dativo et infinitivo socientur, ex eo, quod supra

---

1) «Inter se conjurant, (se) nihil nisi communi consilio acturos eundemque omnis fortunæ exitum esse laturos.» Kochius in suo lexico Horatiano et Nauckius de Horatii Odis et Epodis dicunt, infinitivo notionem officii subesse.

2) Madvig § 395 Anm. 3; Häggström ad Cæs. B. G. 1: 3, 6 (Förklarande anmärkningar, Upsala 1858, pag 19).

3) Madvig § 396 Anm. 4. Schultz § 398: 1 Anm. 6. Kühnast pag. 247.

4) Vide Klotzium.

(I, A, 2 et 5) commemoravimus, concludi potest. Atque etiam ille nomen prædicati vel appositionis sæpius Græcorum more ad dativum personæ applicat. Præstantissimi enim auctores hanc conformationem numquam habent nisi apud *licet* et raro *necesse est*, quum persona nominatur [1]). Sed Horatius præterea hoc genere dicendi utitur et quum dativus personæ supplendus est et apud alia verba: *dare*, *donare*, *concedere*, *permittere* atque adeo uno loco, ubi nullum verbum finitum, quo infinitivus referri possit, in conspectum venit.

Sat. 1: 1, 19 licet (illis) esse beatis. — 2, 51 (ei) munifico esse licet. — Epist. 1: 16, 61 da mihi justo sanctoque videri. — Od. 1: 31, 17 frui valido mihi dones. — A. P. 372 mediocribus esse poëtis non homines, non di, non concessere columnæ. — Sat. 2: 3, 190 permitto (ei) inulto dicere. — 6, 25 Quo tibi, Tilli, sumere depositum clavum fierique tribuno? [2]).

Annot. Attractio omissa est Sat. 1: 4, 39 quibus dederim esse poëtas.

V. De usu temporum infinitivi [3]).

A 1. Præsens infinitivi vim conandi interdum habet.

Od. 4: 1, 6 desine flectere. — Sat. 2: 7, 44 aufer me vultu terrere.

A. 2. De solo præsenti tempore infinitivi pro accusativo et futuro inf. vide supra III E.

B. Perfectum infinitivi pro præsenti tempore inf.

Poëtæ latini, ut in indicativo perfectum pro præsenti usurpant, aoristum Græcorum imitantes, ita sæpe *ἀοριστικῶς*, ut vocatur, perfectum infinitivi habent, ubi ex regulis orationis solutæ præsens infinitivi exspectandum erat. Quod genus

---

1) Madvig § 393 c Anm. 1. Schultz § 389 Anm. 2.

2) *Profuit* suppleri solet.

3) In hac re maxime secutus sum Sjöblom pag. 24 sq.

dicendi, etsi non est omnino alienum ab Ciceronis ratione et vulgari more loquendi, quoniam et in legibus edictisque et interdum apud optimos scriptores, itemque Livium illi formæ infinitivi adjuncta *velle* aliæque locutiones versantur, multo tamen crebrius apud poëtas recentioresque auctores reperitur. Quamquam nonnulli dicunt, perfecto infinitivi rem ad finem perductam et quadam celeritate factam, præsenti tempore rem permanentem magis signifiaceri [1]), tamen apud illas locutiones sententiæ haud multum interest, utrum tempus infinitivi versetur. Apud Horatium sic interdum præsens et perfectum infinitivi conjunctionibus copulantur, atque adeo sæpe poëtæ nulla de alia causa perfecto infinitivi utuntur, nisi ut plenum metrum forment. Ille sic hoc tempus ad verba voluntatis, studii, cogitandi, fugiendi, timendi; uno loco adjectivo addit; etiam pro subjecto locutionum impersonalium et semel apud passiva verba dicendi usurpat.

1) Perfectum infinitivi pro præsenti apud verba voluntatis, studii, cogitandi.

Sat. 2: 3, 187 cur vetas, ne quis humasse velit? (sermonem legum Horatius imitatus est), — A. P. 347 ignovisse velimus. — Sat. 1: 10, 60 amet scripsisse. — Od. 1: 34, 16 posuisse gaudet. — 3: 18, 15 gaudet pepulisse. — 1: 1, 4 juvat collegisse. — Epist. 2: 2, 109 qui cupiet fecisse. — A. P. 435 laborant perspexisse. — Od. 3: 4, 52 tendentes imposuisse. — Epist. 1: 17, 5 cures fecisse. — 18, 60 fecisse curas. — A. P. 98 curat tetigisse.

2) Apud verba fastidii et timendi.

Sat. 1: 2, 28 sunt qui nolint tetigisse. — A. P. 168 commisisse cavet. — 455 tetigisse timent. — Epist. 1: 14, 36 nec lusisse (me) pudet, sed non incidere ludum.

3) Apud verba potestatis.

Od. 3: 29, 43 cui licet dixisse. — A. P. 328 poteras dixisse.

---

1) Kruegeri gramm. § 477 Ann. 2. K. Reisig. Vorlesungen über der lateinische Sprachwissenschaft § 290. Zumpt gramm. Örebro 1833 § 590. Kuehneri gramm. § 127 Ann. 7.

